



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

§. 18. Propositiones Joannis de Montesono.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

Froissard. 3.
vol. c. 100.

cem diebus. Ad cuius sepulchrum, ut testantur Historici, infinita propemodum patrata fuere miracula, atque inter illa quadraginta duo mortui ad vitam resuscitati. Quibus valde exaltata est Clementis factio, nam cum viderent homines, quod Deus hujus viri sanctitatem adeo luculentis comprobata faceret argumentis, nequaquam illum Pseudo-Cardinalem fuisse, ac proin nec Clementem, a quo creatus erat, Antipapam, credere poterant; Sique nonnullis Scriptoribus fides habenda, ea re plures quoque Urbani fautores titubare cæperant. Ceterum Petrus de Aliaco fortiter perorabat, ut Clementem VII. ad illius Canonizationem permoveret, quam tunc temporis non obtinuit, sed primum alius Clemens itidem septimus in Sæculo decimo sexto illum Beatorum honoris coli concessit.

Hist. Uni-
vers. Paris.
tom. 4. sæc. 6.

§. XVIII.

Propositiones Joannis de Montefono.

Meyer l. 14.
an. 1388.

Eodem anno 1387. quidam Religiosus ordinis FFr. Prædicatorum,

rum, Joannes Montefonus nomine *Hist. Univ. Paris. tom 4 p. 618. Gerson. to. 2.*
 Theologiæ Doctor, Valentiaë in Catalonia natus, partim in actu *vesperiarum*, partim in actu *resumptæ*, necnon & in lectionibus publicis plures docuit propositiones, quæ erroneæ videbantur, quatuordecim articulis comprehensæ. I. *Major est unio hypostatica in Christo, quam unio trium personarum in essentia increata.* II. *Possibilis est aliqua pura creatura, perfectior Christi anima in merendo.* III. *Creatura rationalis potest etiam in suis puris naturalibus beatifice Dei essentiam intueri.* IV. Coincidit fere cum quinta. V. *Creatura pura, si poneretur, esset simpliciter extra genus.* VI. *Ponere aliquod creatum, vel aliquam Creaturam esse, simpliciter & absolute necesse esse, non est in aliquo contra fidem.* VII. *Necesse esse, non repugnat esse causatum.* VIII. *Magis consonum est fidei, ponere aliquid citra primum esse absolute & simpliciter necesse esse.* IX. *Afferere aliquid verum, quod est contra Scripturam sacram, est expressissime*

ssissime contra fidem. X. Non omnem hominem præter Christum contraxisse ab Adamo peccatum originale, est expresse contra fidem. XI. B. V. Mariam non contraxisse peccatum originale est expresse contra fidem. XII. Tantum contra Scripturam sacram est, unum hominem esse exemptum a peccato originali præter Christum, sicut si decem homines ponerentur exempti. XIII. Magis est expresse contra Scripturam sacram beatam Virginem non esse conceptam in originali, quam asserere illam fuisse simul beatam, & viatricem ab instanti suæ conceptionis vel sanctificationis. XIV. Expositio S. Scripturæ trahenda est ex Scriptura sacra, & non aliunde.

Hosce errores Montefonus retractare a Decano facultatis jussus, ac leniter admonitus, non modo recusavit, sed & illos ad mortem usque se defensurum professus est; hinc primum sacra Theologiæ facultas Parisiensis, demum tota Universitas has propositiones censorio judicio confixit,

xit, atque damnavit, tanquam falsas, temerarias, scandalosas, atque fidelium pietati contrarias, hæcque eorum censura ad Petrum de Ordeomonte Parisiensem Episcopum tanquam ordinarium ejusmodi causarum judicem delata est, qui Joannem Montefonum ad se vocavit, eoque non comparente die veneris 23. Augusti sententiam tulit, qua has quatuordecim propositiones a quovis defendi, aut prædicari, publice vel secreto doceri, lata excommunicationis sententia ipso facto incurrendæ prohibuit, illiusque absolutionem sibi Soli reservavit. Præterea hunc Religiosum, si opus fuerit, invocato etiam brachio sæculari, comprehendi, & incarcerari præcepit. Inquisitor, seu Episcopi Vicarius Generalis, forte cum ejusdem ordinis membrum esset, neque causæ accedere, nec judicio interesse voluit.

§. XIX.